ORATIO PANEGYRICA BACCALAUREORUM.

EUGIANT hinc omnes benè dicendi Magistri: discedat eloquentiæ parens & latinæ linguæ fons M. Tullius Cicero: abeat Atticæ loquelæ Pallas Demosthenes, ejiciatur ex consessu hoc nostro ingeniosissimus, & tùm in dicendo, tùm docendo tersissimus & accuratissimus Aristoteles, exterminetur Hortensius, quotquot eloquii elegantia fulgurare, tonare, didicerunt: quotquot orationem numeris astringere noverunt, secundum regulas, tùm Etymologicas, tùm Syntacticas loqui consueverunt: quotquot stylum tersum purum, ad tenue elimatum, multis vigiliis & studiis elaboratum, auribus jucunda resonantia approbatum, optimum benè dicendi Magistrum appellaverunt: omnes, omnes abeant, erumpant, excedant, evadant. Nihil mihi nunc erit, *Magnifice Domine Rector, idemq; Academiæ nostræ Amplissime Domine Cancellarie, Spectabilis Domine Decane: Reverendi, Clarissimi, Consultissimi, Excellentissimi, Prudentissimi, Spectatissimiq; viri, Domini Doctores, Professores, Consiliarii, Senatores & hospites, quotquot adestis lectissimi, tuq; Studiosorum concio nobilissima & exoptatissima*: Nihil, inquã, mihi nunc erit cum puritate Grammaticorum, nihil cum cincinnis Rhetorum, & turgida eloquẽtia Oratorum, nihil cum ordine & methodo Dialecticorum. Quid tuas regulas à me exigis Grammatice? nescis quid dicas, volo esse barbarus. Quid ornamenta tuæ dictionis à me postulas Orator? stupidus es, volo esse exlex. Quid argumentorũ tuorum nexus, axiomatũ veritatem, syllogi-

ſmorũconſequentiã, methodi ὁμογένειαν à me requiris Dialectice? nõ audio te: ex illorum numero eſſe volo, qui hodieq; appellantur Scholaſtici & barbari. Quid muſſitatis auditores? quid exordii turgiditatem & ſuperbiam, aut ut mitiùs dicam, licẽtiam miramini? quid rationem & αἰτιολογίαν ejuſdem rimamini? Dicam uno verbo, quid velim: In hoc ſolenni conventu verba mihi ad vos ſunt facienda: Hoc enim mos & conſuetudo omnium Academiarum, & leges etiam noſtrę jubent, flagitant, imperant. Thema igitur elegi mihi ejuſmodi, quòd & gratum ſit propter jucunditatem, venerabile propter antiquitatem, ſcitu dignum propter poſteritatem & utile propter juventutem: nimirùm dicam de terminis & modo tùm dicendi, tùm docendi antiquorum, & barbarorum Philoſophorum, quos vulgò Scholaſticos aut homines de ſchola appellitant. Atque ut breviter ac preſsè & pro inſtituti noſtri ratione dicam, nõ repetam ea, quæ ante in Jubilæo Wittebergenſi ante annos ſeptem ingeniosè, & magno cum applauſu ſunt pertractata; qua ſcilicet ratione antiqui illi & barbari homines impegerint in Orthographiam: ut ignari fuerint uſitatarum abbreviationum: Ferunt enim Epiſcopum quendam Ottonem, alteri Epiſcopo Clericum ad functionem Eccleſiaſticam promovendum his verbis commendaſſe: Otto Dei gratia rogat veſtram Clemẽtiam, ut velitis iſtum Clericum convertere in verum Diaconum: cumque alter verba abbreviata non intelligeret, ſic ea legiſſe: Otto Dei gram, rogat vram Clam, ut velitis iſtum Clincum Clancum, convertere in vivum Diabolum. Nec dicam, quomodo quantitatem ſyllàbarum non curàverunt: neque barbariem in Rhetorica, Arithmetica, Geometria, Optica, Muſica, Phyſica, Ethica, Aſtronomia, &c. attingam: quis enim tam robuſtus eſt, ut hoc Augiæ ſtabulum purgare poſſit?

ſed

ſed nil niſi novum proferam, & id unum agam, ut oſtendam, quomodo locuti fuerint, quomodo docuerint, & qua ratione diſputaverint in ſolis Logicis, idque per omnes Inventionis locos deducam, ita ut de meo nihil addam, ſed ex propriis ipſorum ſcriptis bona fide recitem. Res quidem illa difficilis & laboris plena; quid autem ſi tædium illud devoravero? quid ſi laborem diligētia ſuperavero? Vos modò, Auditores optimi, annuite, aures benevolas præbete: Sic enim mihi dicendi onus levabitur, vobis verò audiendi tædium mitigabitur. Temeritatem ſi objicitis, temerarium illum non eſſe affirmo, qui officii ſibi demandati partes & libenter ſuſcipit & libenter peragit: Thom. aliquē Aquin. Scotum, Ockamum, Bricotū, Holkotū, Holandicum Petrum de Aquila, Perottum, &c. audire ſi mavultis, fateor hos meliùs lingua ſua loqui poſſe, quàm ego forſitan potero, cui illa per Dei gratiam, ſi non exactè, attamen aliquadantenùs eſt terſior. Interim ſi propriis ipſorum verbis uſus fuero, facile opinor me excuſabitis, & perorantem tantò libentiùs audietis.

Unde autem in hoc barbaro maris Oceano exordiar? qua ratione orationis meæ telam pertexam? quid primò, quid ultimò dicam? Inſiſtam barbarorum veſtigiis, & à nomine Dialectices, ſive notatione nominis incipiam. Videamus igitur, quamnam barbari noſtri Dialecticæ notationem propoſuerint? Pro Logica, dixerunt *Loica*, eamque dictam voluerunt à λόγος, id eſt, *ſermo*, & ὕλης, id eſt, *ſcientia, quaſi ſermocinalis, ſive rationalis ſcientia*. Dialecticam derivârunt à δύο, id eſt, *duo*, & λόγος, id eſt, *ſermo, vel lexis*, id eſt, *ratio: & conſiderandum eſt*, inquiunt, (præſtat enim propria ipſorum verba audire) *quod Dialectica poteſt dupliciter ſcribi, & ſecundum hoc habet duplicem expoſitionem: uno modo ſcribitur per* Y *Græcum, & tunc dicitur à dya, quod eſt duo, &* λόγος, *ſermo, vel lexis, ratio, &* *Dialectica notatio.*

ycos, scientia, quasi scientia de sermone duorum, scilicet opponentis & respondentis: Alio modo scribitur per I *Latinum, & tunc dicitur à* δία, *q̃ est de & λόγος, sermo vel lexis ratio & ycos scientia, quia scientia est de sermone vel ratione. Sed prima interpretatio est melior, eò quòd magis exponit naturam Dialecticæ. Et ergo Dialectica debet potiùs scribi per* Y *Græcum, in quantum scilicet dya, valet idem quòd duo.* Totum hoc negotium incluserunt disticho:

Scribe per Y *Græcum dya duo significabit:*
Scribe per I *nostrum, sic dia deq̃ dabit.*

Hactenus barbari. Vultis aũt, ut vitia Logica & Grammatica, & Poëtica recenseam? at tot ferè sunt, quot navis oneraria vehere potest. Itaque in iis recensendis supersedebo, placuit enim barbariem eorum recitare non refutare: interim ea de re videri potest Tortellius & Angel. Politianus in annotationibus. Cæterùm Logicam Petrus Hispanus tractat. 2. scripsit in acquisitione scientiarum esse primam: Hoc ut exponerent Magistri Coloniæ infra sedecim domos in bursa montis regẽtium (hoc enim titulo seipsos dignantur) opponunt argumentum ejusmodi: *Omnis Prior est Monachus. Dialectica est prior. Ergo Dialectica est Monachus.* Atq; ut huic, egregio scilicet argumento, constet sua veritas, sic pergunt: *Major probatur oculariter de priore Prædicatorum & Carthusiensium.* Quanquam autem alii rectè responderint, elenchum esse περὶ τὴν ὁμωνυμίαν, verba tamen, quibus utuntur, & modus, quo in solvendo progrediuntur, æquè est ridiculus. Ita enim sonant eorum verba: *Dicendum quòd ibi est fallacia æquivocationis, eò quòd medium non tenetur eodem modo in majori, & minori. Nam in majori Prior capitur substantivè pro persona habente illam dignitatem Ecclesiasticam, & inde venit Priorissa, & dicitur mulier habens talem dignitatem, vel est uxor Prioris. Sed in minori capitur Prior adjectivè, & scilicet est comparativus à pridem, & propriè dicitur de duobus: & quando dicitur: & si Prior*

capiatur

capiatur adjectivè, adhuc Dialectica in acquisitione scientiarum non erit Prior. Ita scilicet miseri homines sese intricârũt, ut quod multis verbis dixerunt, nos tribus dicere posse non infiteamur, quatuor scilicet terminos esse in syllogismo propter homonymiam vocis Prior.

Sed & Dialecticæ definitionem attulerunt barbaram: *Definitio.* Cum enim brevissimè Logicam definire potuissent ex Platone: Dialectica est ars ratione benè utendi, illi sic definiverunt: *Dialectica est, quæ à fantasiis, quæ videntur, & non sunt, liberat, errores damnat, falsitates ostendit, & lumen verum in omni opere contemplationis ostendit.* Vel: *Dialectica est omnium artium aptissimum instrumentum, sine quo nulla scientia perfectè sciri potest, quæ non more naturalium instrumentorum usu crebro consumitur, sed propter cujuslibet alterius scientiæ studiosum exercitium recipit incrementum.* Item: *Logica est rationalis scientia actuum rationis directiva:* quæ posterior definitio Thomæ Aquin. omnium optima est, præterquam quòd barbaries Grammatica eam obfuscavit.

Nec melius Dialecticam distribuerunt: Inventi enim *Distributio.* sunt, qui eam dispescuerint *in veterem & novam, in veram & falsam, in notiones primas & secundas, &c.* quas omnes, & singulas vitiosas esse à multis est ostensum. Et quanquam distinctio Logicæ in *utentem, & docentem* usitata sit, & hodieq; recipiatur: apud barbaros tamen suo nævo non caruit, quippe qui illam receperint, ut distinctionem rei, ac propterea vel Zarabellæ judicio ridicula est, cùm reverà tantùm sit distinctio nominis. Est enim Logica utens nihil aliud quam usus, sive praxis Logica. Usus autem rei non est res ipsa. Quanquam autem non prorsus repudiamus cum Rameis distinctionem Logices in *Apodicticam, Topicam, Dialecticã, & Sophisticam:* apud Scholasticos tamen ideò reprehensione digna est, quoniam ob Græcæ linguæ ignoran-

Causa. tiam *Thopica* ſcripſerunt in prima ſyllaba inſerta aſpirata H. De aliis diſtinctiunculis dicere nihil attinet, ad cauſarum enim doctrinam nunc accingor. Quæ verò in illa ſtabulatur barbaries? Principiò quando nos diſquirimus: An cauſæ ſint conſiderationis Metaphyſicæ, & diſtinctione adhibita dicimus, cauſas & ad Metaphyſicam & ad Logicam pertinere: ad illam quidem, quatenus cauſa, & cauſatum dividunt ens, quod eſt ſubjectum Metaphyſicæ, ſiquidem omne ens, aut eſt cauſſa, aut eſt cauſatum, & quia ratio cauſæ pertinet ad omnes res, tàm materiales, quàm immateriales: ad hanc, ut cauſæ ſunt principia cognoſcendi & ſciendi res, ſcire enim rem per cauſas cognoſcere: illi diſtinctionem hanc barbarè ſic eloquuntur: *Cauſæ differenter conſiderantur ab illis. Nam Metaphyſicus conſiderat de quatuor cauſis in quantum ſunt principia entium; ſed à Logico conſiderantur ſecundũ quòd in ipſis fundatur habitudo localis*: Delio hic natatore opus habes, ut intelligas quænã ſit fundatio habitudinis localis. Sic æquè obſcurè dicunt *à Grãmatico cauſas conſiderari ſecundum habitudinem congruitatis*, hoc eſt, ut ipſi exponunt, *in quantum in eis fundatur habitudo regentis & recti*. Quid quòd

Cauſa ſine qua non. cauſam dictã volunt, quaſi *caviſſam*, cũ tamẽ vox illa ſit primitiva non derivativa? Nec ſatis accuratè cauſam ſine qua nõ in cauſarum numero repoſuerunt, cùm illa mera conditio, & adjunctum ſit efficientis. Porrò vim à qua nos effectum eſſe dicimus, iſti appellârunt *cauſationem effectus*, vel

Cauſa efficiens. *fieri effectus*, ambiguè certè, & valdè impropriè.

Pro exemplo cauſæ efficientis, quando nos adducimus architectum, à quo primò fit motus, ut extruatur domus: illi architectũ vocant *domificatorem*, & architecturam, *artem domificatoriã*, ſtatuarium, vel eum, qui efficit ſtatuã, appellãt, *ſtatuificũ*, & qui nobis eſt ſutor, aut calcearius, illis eſt *calcifex*.

Materia. Diffinitionẽ omnium cauſarum afferunt unam & eandem,

dem, cùm tamen rerum distinctarum distinctæ dandæ sint definitiones. Ut enim illis *efficiens est habitudo ipsius ad effectum*: ita & materia & forma. Exempla & Canones omnium causarum quando debent illustrare & usum monstrare, hęrent tanquam mus in pice; hoc dicterio utentes. *Exempla & maximæ patent faciliter volenti practicare*. Quando nos dicimus: Ab hac vel illa causa argumentamur affirmativè & negativè: dicunt illi: *Tenet consequentia* (pro valet consequentia) *constructivè & destructivè*. Forma.

Causam finalem cum effecto miserè confuderunt, nec causæ finali speciale nomen imposuerunt, quod *finis magis sonet effectum causæ, quam causam*: ut nihil dicam de futili distinctione inter *finem & causam finalem*, cum ea idem prorsus sint, sicut materia idē est quod causa materialis, forma idem quod causa formalis. Silentio sepelio ea, quæ de *materiæ subjicibilitate, passionabilitate, receptivitate, potentionalitate, transmutabilitate, generabilitate, corruptibilitate, componibilitate, resolubilitate, multiplicitate, susceptibilitate, aptitudinabilitate, &c.* ex ipsa barbarie effutiverunt. De forma quid dicam? O auditores, quæ hîc vocabulorum monstra deprehendo? Credo ipsam Africam tot monstrorum feracem non fuisse. Enecor tam portentosis disputationibus de *hæcceitate, homineitate, asinitate, caninitate, leoninitate, fœmineitate, animalitate, formalitate, corporeitate, actuatione, mensciitate, cyatheitate, equisatione, singularisatione, activitate, entitate, ingenerabilitate, idemptitate, incorruptibilitate, singularitate, &c.* De quibus videatur etiam Zabarell. in libro quem scripsit de principio Individuationis. Pro effectus vocabulo usurpaverunt vocem causati, quam in nullo classico autore est reperire: Unde eam P. Ramus è Logica sustulit. Multo melius usi fuissent appellatione Græca αἰτιάτα: Sed obstitit insignis ruditas, & crassissima inscitia in lingua Finis. Effectum.

Græca. Hinc illæ lacrumæ! Et licet nonnunquàm effectus vocabulo usi fuerint, ad ingenium tamen redierunt. Etenim quando nos dicimus: Motus producitur à caussa efficiente: dicunt illi: *Motus causatur effectivè, vel effectualiter à causa efficiente.* Hinc & vox *effectuationis* enata est. Quando nos dicimus: Scientia perficit rationem, & ut Grammatica dirigit linguam, ita Dialectica dirigit rationem: Illi: *Scientia*, inquiunt, *est perfectiva rationis, & ut Grãmatica est directiva linguæ, ita Dialectica est directiva rationis. Habitũ cognoscẽtẽ vocãt cognoscitivũ*, sapiẽtiam definiunt, *habitũ primarũ, & altissimarum causarum consideratívum*, vel *habitum Dei, & divinorum cognitivum lumine naturali.* Cùm dicere volunt: Ex hoc argumento efficitur illud: *Ex hoc*, ajunt, *sequitur correlariè.* Ad effectum referuntur laudes & vituperia: at sine risu vix audire potes, quomodo suos, sive mortuos, sive viventes in Epitaphiis suis commendaverint. Durandum præcipuũ suorum Doctorum mortuum tali encomio exornant.

Laudes & vituperia.

Durus Durandus jacet hoc sub marmore duro,
An sit salvandus, ego nescio, nec ego curo.

Hoc corrigens Æneas Sylvius in libro de pravis mulieribus applicat homini desperato Alano:

Alanus calvus jacet hic sub marmore duro:
Utrum sit salvus, non curavit, neq; curo.

Carolus ultimus Burgundiæ Dux hoc ab ipsis habet præconium, vel, ut isti loquuntur, sic præconisatur in disticho & futili, & vitiosissimo, quantũ ad quantitates syllabarum.

Te tæduit pacis, piguitq; quietis in vita,
Hic jaces Carole, jamq; quiesce tibi.

Abbas quidam cum suis sororibus sic laudatur:

Hic jacet Elisabeth simul & sorores:
Et frater Andreas, qui diligebat eas.

Præcipuè

Præcipuæ cuidam fœminæ tumulo inſcribitur illud:

Hic jacet Anna, quæ habuit præcordia ſana,
Orat pro ſecum qui vult comedere mecum:
Et ſi eſtis mille omnes oretis pro ille.

Notum eſt & illud Johannis Vituli dicti Kalb:

Ah Deus omnipotens vituli miſerere Johannis,
Quem mors præveniens non ſinit eſſe bovem.

Simile Germanicum eſt Coloniæ: quod ſic reddidi:

In viridi Meiſter requieſcit gramine Petrus,
Braſſica gratus erat cui capitata cibus.
Rhenanum vinum quoque ſponte libensq; bibebat,
Hinc requiem æternam donet ei Dominus.

Et rurſus:

Hic eſt ſepultus Abraham:
Ah vir fuit pius quám:
Pueros docebat A B C.
Ideò requieſcit in pace.

Cuidam idem mecum nomen habenti, talis fit tumulus & tale tumulo ſuperadditur carmen.

Hic jacet extinctus quondam venerabilis Finckus
In rubra toga pro eo Deum roga.
Cujus olim venter bibit Corſica vina libenter,
In fide ſincera & charitate vera.

Alter ille Alexander Magnus Carolus V.me Chriſte quàm mirabile habet epitaphium à rudi quodam Poëtaſtro.

Hic jacet intus
Carolus Quintus:
Quæſo bis aut ter:
Roga pro eo Pater noſter.

In Thuringia legitur illud:

Quis jacet hic? Grommes:
Quid? pondus inutile terræ.

Quid fuit? Osse fuit:
Quis fuit? Hase fuit.

Quod Germanicè sic redditum fuit:

Wer ligt begraben in diesem Näst?
Herr Grommes ist ein Haas gewäst.

Sacrificulus quidam tam avidus erat ad evacuanda pocula, ut famulum suum ad omnes omninò tabernas mitteret, exploratum, ubi vinum generosius venderetur: cumq; ille vinum allatum gustaret, & gustando ad palatum esse deprehenderet, exclamavit: Est, Est: quo suo *Est Est* tantum effecit, ut paulò pòst animam efflaret. Cui mortuo famulus hæc verba in sepulchrum incidebat:

Propter Est Est *Dominus meus mortuus est.*

Basileæ in summo templo sic scriptum est:

Hic jacet in cespite Canonicus atq; Scholasticus iste:
De domo natus, moribus & vita Prælatus:
Qui fuit binominis dictus Johannes Ulricus.

Presbyter quidam anguillas habuerat in delitüs: ideòque non poterat non ejus mentio fieri in tumulo ejus hoc modo:

Anguillas comedit tercentum, ter quoq; mille,
Gaudeant anguillæ, quia mortuus presbyter ille.

Est etiam ridiculum illud in Monachum pinguissimum, ut nominatur ab Ænæa Sylvio:

Si vestis pulla, rasum caput, ampla cucullа
Quemquam justificant, hic homo justus erat.

Nec melius is thoc Jugurthæ Numidiæ Regis:

Quem tegit hic cespes, mundi fuit impius hospes:
Dilexit rabiem, ex non habeat requiem:

Ut & illud Elisabethæ mulieris cujusdam impudicæ:

Hic jacet Elisabeth, si benè fecit, habet.

Non mi-

Non mirarer, Auditores, hanc in Epitaphiis sive barbariē sive futilitatem, si non in ipsa Roma hodieq; numero plurima, nec meliora nec majora invenirētur: ut vidi & legi in vitis & gestis Pontificum descriptis ab Alphonso Ciaconio Biacensi, ordinis Prædicatorum & Apostolici Pœnitentiarii: Opus est excusum Romæ Anno 1601. apud Stephanum Paulinum. Instituere volentes comparationem variorum populorum, ad hujus & illius laudem aut vituperium, ad exemplum illud Virgilianum, quod in loco effectorum ponit Ramus: Excudant alii spirantia mollius æra, &c. effecta ab adjunctis & vicissim adjuncta ab effectis distinguere nesciverunt. Exempli causa: Pons Bohemicus, Monachus Polonicus, Miles Australis, Suevica monialis, Italica devotio, Pruthenorum religio, Gallorum constantia, Germanorum jejunia, nihil valent omnia.

Sed misso effecto ad subjecti & adjuncti categoriam transeamus. Deus bone, quàm barbara, & crassa hîc est utriusq; confusio! quàm inepta, ut fabrorum verbo utar, cōferruminatio! Quando enim nos dicimus: Habitus spirituales, ut scientia, virtus, adjunguntur animæ tanquam subjecto: illi barbarè sic loquuntur: *Habitus spiritales subjectantur in potentiis animæ: Habitus moralis subjectatur in parte appetitiva: Ex his patet correlariè*, inquit alius, *quod neque habitus disponens ad naturam, neque disponens ad operationem subjectatur in essentia animæ.* Subjecti vocem nonnunquam acceperunt pro *verna*, id est, *famulo vel famula alicujus Domini, quia servus dicitur subjectus Domino.* Distinguunt etiam subjectum in *finitatum, & infinitatum.* Quid dicam de loco, quem ad subjecti classem referunt Logici? Illum definiunt, quod sit *contentivus corporum*, id est, quod contineat corpora, & tam ridiculè de eo philosophantur (*spintissant* vel *subtiliant*, dicerent illi) ut affirmaverint, sanctum Ambrosium dum Mediolani sacris altari-

Subjectum & adjunctum.

altaribus assisteret, simul etiam Thuroni exequiis S. Martini interfuisse: & sanctum Severum cum Ravēnis altari assisteret, simul Augustæ justis funebribus S. Udalrici interfuisse. De Ubi Angelorum tam fuêre subtiles, ut asseruerint vel sexcentos in una acie aciculæ considere posse, unumque simul & semel Romæ & Athenis sisterent. Non possum hîc quin cum Persio exclamem: O curas hominum! ô quantum est in rebus inane! Adjuncta sive communia sive propria non actum dicere; sed potentiam & ἐστιτηδειότητα notum est: hoc quomodo isti expresserunt? Id quod componi potest dixerunt *componibile*, quod cognosci potest *cognoscibile*, quod attingi potest, *attingibile*, quod dari potest *dabile*, quod verum esse potest, *verificabile*, quod exemplis doceri potest, *exemplificabile*, vel *specificabile*, quod figi potest *fixibile*, quod reduci potest, *reducibile*, quod proferri potest *proferibile*; quod dignosci potest *dignoscibile*, quod locari potest *locabile*, quod concipi potest *conceptibile*, quod melius reddi potest *meliorabile*, q; disputari potest *disputabile*, quod dici potest, *dicibile*, quod latrare potest *latrabile*, *&c.* Et hinc ex ipsa barbarie profecta sunt *proferibilitas, componibilitas, cognoscibilitas, attingibilitas, verificabilitas, exēplificabilitas, specificatio, fixitudo, ydoneitas per* Y, *aptitudinabilitas, nimietas, dogmatisabilitas, meliorisatio, dabilitas, localitas, conceptibilitas, dubietas, ubietas, sensibilitas, damnabilitas, rationabilitas, congruitas, mensurabilitas, medilitas, sanabilitas, felicitabilitas, notabilitas*, & quis sine bile, & stomacho reliquorum barbarorum vocabulorum monstra recenseat? Literas ad personas honoratas exaraturi dici non potest, quam ridiculam in frontispicio inscriptionem ex adjunctis desumptam adhibuerint. Erasmus Roterodamus lib. 1. de conscribendis epistolis affert illud: *Francisco de Maronis septem liberalium artium Candelabro aureo, radianti Theologorum apici, ordinis Minorum Lucifero sacræ*

Adjuncta.

Scripturæ

cripturæ Gazophylacio, hæresiarcharum malleo, virtutum heroicarum omnium & non heroicarum speculo dilucidissimo, meo domino dignissimo, domino Præceptori humilimus dominationis suæ discipulus & servitor vilissimus, oscula pedum loco salutis. Hinc sunt etiam barbara Epitheta, ut pater vocatur metuentissimus, amor viscerosissimus, Clericus conscientiosissimus, Magister noster illuminatissimus, affectus cordialis, salutes affectuosissimæ, multæ profusione larga salutes, abundæ largo corde salutes, immensæ plena bucca salutes, salutes plurimæ fine atque mensura carentes, salutes cordiali amore connexæ, mille item & mille millesiesq; salutes, salutes ex centro cordis egressæ, salve & vale in eo qui dat escam omni carni, &c. qualibus Epithetis, & descriptionibus scatent Epistolæ Karoli cujusdam Lovaniensis Magistri.

In adjunctis Tempus etiam numerant Logici. At quomodo nostri tempus aut circumstantias temporis describunt? Ita concludit Epistolas suas Magister Lovaniensis: Raptim ex Parisius Octobris 26. acta jam cœna cadente lumine solis. Item ex Lovanio Julii septima. Tardè cum sera traherent crepuscula noctem. Vale ex Brunella Octobris 10. velociùs Euro dum nox tulerat silentia terræ. Vale Deus scit quam raptim hæc scripsi. Vale ex Lovanio tardè tertia Martii luce cadente, & volante noctua nuncia lucis. Vale ex Mechlinia raptiùs cursu leporis, dum S. Laurentii festum dies illuxerat. Scriptum sub blavio cœlo luna supplente diem in loco quem præstiterit siluisse, &c.

Ad adjuncta quoq; refertur habit⁹ & situs. Hîc illi inferũt suos cappatos, scapulariatos, cucullatos, carthusiatos, mitratos & immitratos tunicatos, & quid non? Sitũ Joannes de Meppis ordinis fratrum Hieremitarum sic exprimebat in quadam Epistola: *Vale, salvus, salvusq; maneto ex Monasterio Osnaburgensi in via Thomæ una tibia stante, altera ferente*

papyrum. Alius habitum saltantis comparat cum saltu Picæ: Saltat ut Pica in sua curta tunica. Accidentis, quod extra cõtroversiam ad adjuncta pertinet, dicunt ideò esse triplicem definitionem, quoniam vox Accidens habet tres syllabas, &c.

Dissentanea. Vereor Aud. ut ea, quam mihi concessistis, benevolẽtia abutar, si de dissentaneorum oravero *subalternantiis, repugnantiis, convertentiis, subcontrariantibus, suppositionibus, falsificationibus & verificationibus, simultate, prioritate, correlariis, infinitate, vel infinitatione*, hoc est, *nominibus infinitis, consequẽtiis, permutationibus, ampliationibus, cautelis, contrapositionibus, privationibus privantibus, & malignantibus, negationibus negantibus, æquipollentiis*: de relatis igitur paucissima delibabo. Logicam appellaverunt *servum, quia omnibus artibus, & scientiis inservit*, pro domino dixerunt *dominatio vestra*: barbarè item: *relativa esse minimæ entitatis & maximæ accidentalitatis*: Relata distinxerunt in *æquiparantiæ, & disquiparantiæ, suppositionis, & superpositionis, in relata secundum dici & relata secundum esse, &c.* Barbarè etiam loquuntur, dum dicunt, relativa omnia dici *ad convertentiam*, hoc est, ut nos loquimur, constare ex mutua ad se invicem affectione, id quod illi exposuerunt his verbis: *Relativa dicuntur ad convertentiam*, id est, *possunt verificari de seipsis cum obliquis suorum correlativorum.* Item: *dicendum, quod est relativum, referri ad suam correlantiam sub habitudine alicujus obliqui casus, & contrà. Aut est mutua correlatio relativi ad suum correlativum, sub debita appellatione & debito casu*: Vel *est aliqua referri inter se secundum mutuam dependentiam sub habitudine casuali, & per hoc differt à conversione propositionũ, & à convertibilitate propriarũ passionum. Et relata sunt simultanea, vel habent simultatem.* Quis autem non rideat hæc barbara exempla, quibus hãc suam correlantiam & convertentiam exponunt? Ita scribunt. *Dicendum quod relativa*

Relata.

relativa dicuntur ad convertentiam, quando benè assignantur & sub debita applicatione. Unde remus est relativum: & suum correlativum non est navis sed res remita, ut remus rei remitæ remus, & res remita remo res remita: & etiam caput est relativum & animal non est suum correlativum, sed capitatum, ut caput capitati caput, & sic dicuntur ad convertentiam. Horret animus, Audit. optimi, quando cogito quibus tricis implicaverint in obscurissima sua Relationis doctrina mysterium Sacrosanctæ & individuæ Trinitatis. Ita me Christus benè amet, doctrinam de notionibus sive characteribus hypostaticis ita involverunt, ita intricaverunt, ut legens scripta Scholasticorum, imò hodiernorum etiam Jesuitarum ea de re disputationes, ex contortuplicatis logismis, & spinosis subtilitatibus, quò te vertere possis, nescias, quomodo extricare valeas, prorsus hæreas: ut non immeritò usurpare possis Apostolicum illud: Stulti facti sunt in cogitationibus suis.

Sed quid his immoror diutius, cùm ad comparata mihi properandum sit. O verò ridicula capita! ô homines Logico lumine orbatos! quid homines dico? quin exclamo: ô bestias, rationis & orationis dono destitutas! Credo Polyphemum in antro ab Ulysse occæcatum plus vidisse quàm barbaros meos Philosophos. Age audiamus egregias aliquot comparationes; non enim omnes in medium afferre potest is, qui summa sequitur fastigia rerum, ut cum Poëta loquar. Principiò Johannem Baptistam comparant cum Aristotele: *Quemadmodum Joannes Baptista fuit præcursor Christi in Theologicalibus: ita Aristoteles fuit Præcursor Christi in Physicalibus.* Titulum librorum dictum volunt à Titane: *quia sicut Titan sive sol totum mundum illustrat: ita Titulus illustrat totum librum.* Guilherinus in Postilla talem habet comparationem: *Sicut digitus procedit à corpore & manu: Sic Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio.* Cujus farinæ est & illa, magni scilicet

Comparata

Goclenii, qua humanam Christi naturam in peragendis divinis confert cum manu Kirchneri scribentis carmen, aut cum manu Titii tractantis ferrum. Sed mavultis comparationes rerum cum Logica? Dabo paucas: *Quemadmodum equus est utilis ad itinerandum: ita Logica est utilis propter aliquem finem. Quemadmodum ignis comburens suæ combustionis ignorat causam, sic credentes aliquid scire sine Logica, causam sui sciti ignorant.* Vel ut alius: *Quemadmodũ ignis alia comburit, & se non: ita sine Logica sciens se scire ignorat. Quemadmodum via brevis & stricta obliquitatem devitat, & viatorem ad terminum faciliter ducit: ita methadus* (A enim in O mutant) *est via vel potius finalis terminus. Quemadmodum est una via de Colonia ad Moguntiam, & contrà: Ita est eadem habitudo definitionis ad definitum. Sicut faber ferrarius malleo, cæmentarius gnomone, ut rectius operetur, utitur: sic intellectus in singulis artibus Logica tanquam dirigente. Quemadmodum Cygnus suum æmulum habet Aquilam: cornix noctuam: mus elephantem: Germanus à Gallo odio prosequitur*: (ita vitiosè loquũtur) *sic Dialectica habet suos æmulos.*

Nec satis erat, Audit. ridiculas comparationes proposuisse, oportebat etiam aliis barbarismis orationem contaminari: Quando enim dicimus aliquid sumi analogicè, illi dicunt sumptum esse *similitudinariè & proportionabiliter.* Comparatio nostra in qualitate & quantitate, est illis comparatio *qualitativa & quantitativa.* Comparatio parium apud eos insulsa fuit & inepta, ut ex exemplis patet: *Precor tibi tot salutes quot sunt Alleluja inter Pascha & Pentecostes.* Item: *tot salutes, quot inter ungulas milvi assequitur pullus. Salutes tales quales Cretenses suis hostibus optaverunt.* Hûc pertinet & illud: *Salve amice, ad centrum cordis dilecte.* Referri huc etiam debent septẽ congruentiæ Durandi, quibus probare vult VII. esse Sacramenta: *Ut septem sunt planetæ, septem artes liberales, &c.*

les, &c. Ergo sunt septem Sacramenta. Pariter insulsa sunt etiam imparia: Ut: *salutes innumeras rosis & violis amœniores, amœno splendore fœcundiores: Non sol æstivus tot produxit radios, quot mihi salutes is tuus nuncius tuo nomine dixit. Vale carpa sanior, sponso lætior, adamante diuturnior. Vale matre lætior, quæ vivo fit obvia nato, quem audierat æquoris in medio mersum. Ex Lovanio ocyùs quàm imaginem specula reddunt, &c.*

Præterea quando conjugata nobis sunt Physica, Physicus, Physicè, Logica, Logicus, Logicè, Theologia, Theologus, Theologicè: Barbari ea à suo principio sic deducunt: *Logica, Logicus, Logicaliter, Physica, Physicus, Physicaliter, Theologia, Theologus, Theologicaliter.* Sic & *Katherinam* denominat à Grammatica. Quàm obscurè & barbarè nobilissimam doctrinam de concreto & abstracto tradiderint, apud omnes Logicos tàm in proclivi est quàm pluvia cùm est imber. *Conjugata.*

Notationem dum aggredior, peto ut auditum admissi risum teneatis amici: Si enim ullibi barbari sunt verè barbari; si in ullo inventionis loco inepti, dispeream si non in hoc ipso sunt. Ex infinitis ferè exemplis, & innumero numero, pauca seligam. Frater Pelbertus de Thesmar ordinis S. Francisci in sermonibus Pomærii de tempore in voce *Alleluja* hanc invenit, & in bicipti, ut cum Poëta loquar, Parnasso somniavit Etymologiam: Al *altissimus*, Le *levatus in cruce*, Lu *lugebunt Apostoli*, Ja *jam resurrexit*: & postea addit: *Sic satis docemur, quod Deum in hoc tempore debemus multùm collaudare, quod Christus pro nobis resurrexit.* Idem autor fer. 3. Paschat. serm. 10. *Pax*, inquit, *est una dictio & tribus literis scribitur ad significandam Trinitatem & Unitatem in Deo, à quo pax procedit.* Nomen Mortis sic fuerunt interpretati: M *mordens* O *omnia* R *rostro* S *suo*: & Cadaveris: Ca *caro* Da *data* Ver *vermibus*. Diabolus duxerunt à *duo* & *bolus*, quia duos *Notatio.*

bolos in homine vult vorare, corpus ſcilicet & animam. Legendæ Pontificiæ Veſpaſianum dictum volunt, *à nido Veſparum, quem ipſum in naribus habuiſſe ſcriptitant.* Donatus illis dicitur quaſi *donum natis*, id eſt, pueris. Sepulchrũ quaſi *ſine pulchro.* Oratio quaſi *oris ratio.* Curiam dixerunt eſſe à *cruore*, adeoq; in Decretis ſuis promulgaverunt *nulli clericorum licitum eſſe curiam ingredi.* Deus bone quàm futilis eſt apud Magiſtros Coloniẹ in burſa Montis regentium, & Magnum Hundt Parthenopolitanum, Diſputatio de *bu ba baf*, an ſint voces ſignificativæ nec ne? quã inepta eſt apud verſorem Grammaticæ notatio à *Gramma*, id eſt, *litera*, & ἴνος, id eſt, *ſcientia, eò quia literatos facit, & Politicæ, à* πόλις & ἴνος *ſcientia!* Quàm falſum eſt quòd ſcripſerunt, ſcire derivationem vocabulorum pertinere ad perfectos & ſapientes, & non ad pueros. Unde inter Priſcianũ & Donatum barbari Grammatici dedêre diſcrimen, quòd Priſcianus loquatur perfectis & ſapientibus, Donatus autem pueris. Cæterùm Propheta illis dicitur quaſi *procul fans*, miles quaſi mira res, Magiſter quaſi *magis quàm tres*, presbyter quaſi *præ aliis bibens ter.* Symbolum à *con & bolus*, quòd quilibet Apoſtolus ad illud ſuum bolum contulerit, excrementum *excretio mentis*, calceamentum *calceatio mentis*, Abyſſus ab *à* quod eſt ſine, & *byſſus* quod eſt genus lini candidiſſimi, quia abyſſus caret omni cãdore & ſplendore. Prohemiũ à *prothos*, id eſt, primus & *hemos*, id eſt, ſermo, quaſi primus ſermo: Sodalis à *ſo*, id eſt, ſimilis & *edo*, quoniam ſimiliter edit in menſa. Aulicus quaſi αὐτὸς λύκος, id eſt, ipſiſſimus lupus. Carina quaſi *carens rima.* Segnis quaſi *ſine igne.* Ignavus quaſi *igne vacuus.* Prodigus quaſi *procùl gerens.* Topicã derivant à *topos* locus & *icos* ſcientia, q. ſciẽtia de locis. Nec mirũ eſt, q; in nominũ derivatione toties ſint hallucinati, cùm nomina nec rectè legere, nec rectè ſcribere potuerint. Pro Hippocrates enim legerunt &

runt & ſcripſerũt *Hippocras*, pro Ariſtoteles *Areſtotilis*, quem & dictum voluerunt ab ἄριστος & τέλος, quòd omnes artes ad bonum finem deduxerit, pro Socrates legerunt *ſortes*, pro Gloria Patri & Filio & Spiritui S. abbreviatis, legerunt *Gla. Ptri. & Flo & Spri Scto:* Item pro abbreviatis: Epiſtola Apoſtoli Pauli ad Corinthios fratres, legerunt, *Epla Apli Pli ad Coruuios Fres.* Analytica Ariſtotelis ſcripſerunt *Analectica Arlis*, problemata ſcripſerunt *probleumata*, Sophiſma *Zophiſma*, Specificari *Specivocari*, pro interrogatio dixerunt interrogantia, pro Boëtius *Bohecius*, idoneum & imaginem ſcripſerunt per *Y*, pro arteria ſcripſerunt *arterea*, pro methodus *methadus*, pro peri hermineias, *peri hieremias & perhiarmenias*, pro ſyncategorematicè *ſyncategoreumaticè.*

Quidam baptizaturus officii ſui partes hac formula peragit: Ego te baptiſte in nomine Chriſte: Alius ita: *Ego te baptizo in nomine Patra & Filia & Spiritua ſancta:* Quæ craſſiſſima barbaries poſtea Canone fuit confirmata à Zacharia Papa, de conſecr. diſt. 4. cap. retulerunt. Ædituus quidam quoties ita ſalutaret ſuum parochum: Bone dies, Domine Jeremies: toties ab illo reſponſum accepit: De gratz ges Domine Mattes. Presbyter quidam non alia forma orare & menſam conſecrare didicerat, quam iſtâ:

Deo gratias, quòd nos ſatias,
Bonis ruſticorum, contra voluntatem ipſorum.

In hoc verò reperiſſe ſeſe putârunt, non quod pueri in faba, dùm in fine omnium ſuorum Reſponſoriorum, quæ vocant, ſcripſerunt Evovae, quo nihil aliud innuere voluerunt, quàm finem & clauſulam omnium ſuarum cantionum sEcUlOrUm AmEn: quia tot in his verbis ſunt vocales E.U.O.U.A.E.

Hactenus de Notatione: reſtat ex argumentis artificialibus ſola definitio & diſtributio, de quibus fusè dicerem,

nisi manifestum esset & omnibus notissimum, tot falsas definitiones, tot vitiosas distributiones apud Scholasticos occurrere, ut nulla, audacter loquor, nulla exactè ad definiendi & distribuendi leges congruat. Dic n. amabo te mihi, quales hæ sunt definitiones: *Canis est animal latrabile? Definitio est habitudo definiti ad definitionem? Habitus est quò operamur promptè & delectabiliter operationes nostras. Malleus est instrumentum naturale virtutis percussivæ. Baccalaureus formatus est persona habens dignitatem bajulandi baculum promovibilis in Magistrum.* Omitto hîc tam mõstrosas librorum inscriptiones, quæ ad definitiones & descriptiones referuntur, ut *Textus & copulata omnium tractatuum Petri Hispani, etiam parvorum Logicalium.* Item: *Expositio Donati secundum viam Doctoris sancti perutibilis Baccalaureandis, & jam quibuscunq; aliis scholasticis. Cato cum glossa & moralisatione, Elementale introductorium in nominum & verborum declinationes Græcas. Repertorium dictorum Aristotelis, Reparationes Albertistarum & Schotistarum, &c.* Colonię talis est descriptio Christophori:

Descriptio.

Sancte Christophore,
Qui fers Jesu Christe,
Per magnum fluvius,
Nec aqua tangit culus
Sed hoc non est mirum,
Quia tu es magnum virum.

Gemina huic est descriptio Westphaliæ his versibus comprehensa:

Hospitium vile, groff Brot/dũn Bier/lange Myle/
Sunt in VVestphalia, si non vis credere lop da.

Duplices & versipelles ita descripserunt, ut videre est apud Æn. Sylv. Ihr Sach ist nichts anders dañ jo vnd nein: Jo *in promittendo:* Nein *in non servando: Lætamini in Domino,* Ein guten Kalbskopff. Ita audacem: *Adax est qui non timet lupum circa natalem,*

talem, rusticũ in carnisprivio, sacerdotẽ in Quadragesima. Annon barbara est distributio *definitionis* in quidditativã & descriptivam, *comparationis* in qualitativã & quantitativã, *Grãmaticæ* in positivã & regulativã, *Gratiæ* in operantẽ & cooperantẽ, *meriti* in de cõgruo & de condigno, *Sacramẽti* in 7. partes *Pœnitentiæ* in contritionem, cõfessionem & satisfactionem, *corporis humani* in caput, oculos, ventrem medium, cor, palmas, motus in naturalem & innaturalem, *Logices* in partem primam de enunciatione, & secundam de prædicabilibus, & 3. de prædicamentis 4. de syllogismo Dialectico simpliciter sic dicto. 5. de syllogismo Dialectico. 6. de syllogismo Sophistico. 7. de syllogismo Apodictico: *Partis primæ Logices* in Prohemialẽ & executivam: *Enunciationis* in unã & plures: *Propositionis universalis* in prioristicam & posterioristicã, &c.

Hominum fidem quàm futiliter distribuitur Jus Canonicum? Videatur Petrus Fons J.C. in select. Legum libel. omne ferè jus mira brevitate complectente, p. 26. & seqq. ubi etiam totum negotium, inprimis quoad decreta, barbaris his versibus inclusit:

Decretum centum distinctiones dat & unam
Triginta causas, & sex addit tibi mistas
Distinguit septem pœnitentia, conserva quinq;
Autorem quarum tibi declaro Gratianum. Sic breviùs
C. *distinguit &* L *causas dabit,* X *tria cum se* X
Pœnitet. V. *versum vult consecrare reversum*
Dilige decretum si glisis Canonicari.
Distinguit causas Pœnitet & Consecrat.

Purgatorium alebant, defendebant, describebant mei barbari: In purgatorio quid agebant? torquebatur miser, diù satis, miserè satis! Tandem egrediundi dabatur venia, potestas, scilicet; Lombardica historia, ut exaggeraret calorem intensum purgatorii & describeret, hæc

verba publici iuris fiebant: *& videbat ejus urina sicut Cyprum.*

Ad extremum: Testimonio ultimo inventionis loco quomodo abusi fuerint, inde liquet, quòd seposuerunt sancta Biblia, & ex Ethicis Aristotelis populum è suggestu docuerunt: quòd in majori authoritate habuerunt Thomam, Scotum, Holkotum, Bricotum, Okamum & cęteros barbaros, quàm Prophetas, Evangelistas & Apostolos; quodq; vulgatam Latinam editionem Bibliorum barbarissimis, solœcismis, & alijs depravationib. refertam prætulerunt fontibus Hebræis & Græcis: ita ut voluerint etiam hos ex illa corrigi, quod quid aliud est quàm lumen ponere post laternam? Tanta scilicet rúditas erat, inscitia tanta, tanta barbaries in locis inventionis. E quibus nunc eluctati sumus Auditores, & ita quidem eluctati sumus, ut ne verbulum pro arbitratu finxerimus, sed omnia ex Scholasticorum scriptis optima fide deprompserimus. Nunc si dicerem eandem in agros judicii Noëtici & Dianoëtici irrepsisse, à vero aliena non dicerem, præter temporis tamen & instituti nostri rationem dicerem, & finem, quem oratio nunc consecuta est, non respicerem. Quàm ridiculè (ut hoc παρέργως addam) vitiosas argumentationes solverint, ex Versore patet, qui responsurus ad argumentum objectum sic progreditur: *Sciendum*, inquit, *quòd triplex est responsio, quædam est quæ satisfacit quærenti tantùm & non quæstioni: ut cùm quæritur, quot sunt scholares in schola, & respondet unus. Alia est responsio satisfaciens quæstioni tantùm & non quærenti: ut cùm quæritur, quot sunt scholares in scholis, & respondetur plures vel multi. Alia est responsio satisfaciens quærēti & & quæstioni simul, ut cùm quæritur, quot sunt partes orationis, & respondetur: Octo, nomen, pronomen, &c.* Ænigma hoc est, Audit. simile ferè illi, quod Sacrificulus quidam pro concione populo proponebat: Textus meus, inquiebat, continet tres partes:

Testimonium.

partes: primam ego ſcio, vos non: (habebat autem caligas laceras, quod ipſe ſciebat, quia verò toga eæ tectæ erant, auditores neſciebant) alteram partem vos ſcitis, ego verò nõ: an ſcilicet auditores ipſi novas caligas donare vellent: Tertiam partẽ nemo noſtrum ſcit: an videlicet ſartor eas gratis ſarcire vellet. Quid dicam de illorum *Purpurea, Iliace, Edentuli, Amabimus, deg, ponte Aſinorum, Riffedo item & Robaco?* Heu quàm ſe torſerunt ſuo illo: *Axioma.*

Caſena, Cageli, fedanes, Hebare, Gedaco,
Gebali ſtant, ſed non ſtant febas hedas, & hecas.
Bambara, Camerent Dimari Fimero Bamalipton,
Crementes, Dimaris, feſmapo, Fremceſomorum.

Quàm futilibus igitur argumentationibus & reſponſionibus tempus triverint, & bonas horas perdiderint, tàm notum eſt quàm quòd notiſſimum: & liquet etiam ex ſequentibus: Ad hoc enim argumentum: *Mulier genuit te vel aſinus. Sed nulla mulier genuit te. Ergo aſinus genuit te*: Reſpondet magnus Hundt: *Dicendum, quod tota diſjunctiva eſt falſa: quoniam mulier non gignit ſed parit. Ergo oportet ſervare proprietates Logicales & Grammaticales in his modis arguendi.* Ut ſolverẽt argumentum: *Aſinus habet pedem. Tu habes pedem. Ergo es aſinus*: diſtinxerunt inter pedem rationalem & irrationalem. Dici vix poteſt quàm calefecerint cerebrum in ſolutione iſtius ſophiſmatis: *Nullus ſtudens eſt Lips (pro Lipſiæ) Si aliquis ſtudens eſt Lips, probatur, non iſte ſtudẽs eſt Lips. Si aliquis ſtudens eſt Lips, non iſte ſtudens eſt Lips, ſi aliquis ſtudens eſt Lips: & ſic de ſingulis: & ergo nullus ſtudens eſt Lips, ſi aliquis ſtudens eſt Lips.*

Quàm deſudaverint in doctrina *ſuppoſitionum, ampliationum, reſtrictionum, appellationum, &c.* & verba non habeo quibus eloquar, & iis auditorium diutiùs detinere non audeo. O igirur barbariem barbariſſimam! ô Logicæ uſum abjectiſſimum! ô Grammaticæ neglectum contemptiſſimum!

Ah Christe, qui ferre potuisti tantum tam insignium tuorum donorum & bonorum abusum! Hæccine gratitudo erat quã tibi debebant miseri homunciones! Hoccine erat omnia studia ad gloriam divini tui nominis dirigere! Hoccine erat in tenebris & ignavo otio marcescere, & spinosis Sophisticationum tendiculis inhærescere! Mi Jhesu, mi Christe, gratias tibi agimus nunquam intermorituras, quod ab hac barbarie liberasti nos, quod artium & linguarum studia inter medios Satanę furores clementer conservasti, & ad nos tamquã seros postgenitos propagasti: Conserva porro ô pater luminum cœtus docentium & discentium: vigeant disputationes Philosophorum, vireãt declamationes Oratorum, floreant scholæ Grammaticorum: vive, vive regina eloquentia, cresce Logica sapientia, vigesce Grammatica scientia: Christe homo, Christe Deus, tuere Illustrissimum nostrum Principem cum tota familia Hassiaca, ut diutissimè afflictæ & derelictæ tuæ Ecclesiolæ grata præstet Halcyonia, rege, doce, juva labores vocationis nostræ: Fac ô fac nos vasa misericordiæ, ut sine fine videamus, sine fastidio amemus, sine fatigatione laudemus Deum creatorem nostrum, te Redemptorem nostrum, & Spiritum S. sanctificatorem nostrum, Deum inquam, in unitate Trinum, in Trinitate unum, qui sit benedictus in sæculorum sæcula, Amen, Amen.

NON sine causa ita Orationem meam concludo, Viri Magnifici, Amplissimi, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi, Experientissimi, Excellẽtissimi, Spectatissimiq;: negare enim non potestis barbariem illam, quam hactenus descri-

descripsi, à nobis Dei benedictione esse profligatam, Logicæ legitimum usum ad nos quasi postliminiò esse reductum, linguarum & humaniorum artium studia à nobis exculta esse, hodieq; excoli, negare, inquam, non potestis. Atque ecce hujus rei specimen præsentes hosce 17. adolescentes: Hi enim tùm in aliis tùm in nostra hac Academia artibus operam haud pænitendam navârunt, linguas Latinam & Græcam indefesso studio & vigili labore excoluerunt: excultas in suum succum & sanguinem cõverterunt: Quicquid Cicero diligenter elaboravit, quicquid Isocrates non semel sed iterum dedolavit, quicquid Aristoteles subtiliter disputavit, quicquid Sphæricus certa experientia observavit, hoc omne suum fecerunt, & superioribus diebus non tantùm in Græca sed & Latina Oratione, tàm prosa quàm ligata, præclara specimina ediderunt, & denique in Examine ita steterunt, ut communibus omnium Dn. Collegarum meorum suffragiis digni judicati fuerint, in quos primus in philosophia gradus, qui Baccalaureatus appellari consuevit, conferretur. Id verò antequam fiat, priùs eos de themate aliquo philosophico clarè, perspicuè, breviter & memoriter disserentes audietis, ut eò certiùs de eorum progressibus judicare possitis. Tu igitur, qui secundo constitutus es loco incipe (primus enim gratias aget) quæstionem aliquã non ex anicularũ triviis, aut agyrtarum circulis, sed ex purè & sobriè philosophantium, hoc est, τῶν χαρεστέρων comitiis edissere, perorantem te cæteri competitores tui sequentur, & ut nullus dubito, Domini auditores benevolè auscultabunt.

Singulorum Quæstiones brevitatis causâ hic omissæ.

Jusjurandum inquit *Cicero libr. 3. offic.* est affirmatio religiosa: quod autem affirmatè quasi Deo teste promiseris, id tenendum est. Nullum enim vinculum ad astringendam

fidem jurejurando majores arctiùs esse voluerunt. Id indicant leges in 12. tabulis: indicant sacra fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notationes animadversionesq; Censorũ, qui nulla de re diligentiùs quàm de jurejurando judicârunt. Quæritis Canditati, in quem finem hoc recitem? Dicam uno verbo: Jurabitis, & quid juraturi sitis, cogitabitis, hoc est, nõ pejerabitis. Tu minister Academice, Usitati juramenti formulam 17. his Candidatis prælege, & antequam ad primum hunc in philosophia gradum admittantur, jurare religiosè jube, ad ea quæ in manibus geris Sceptra Academica.

Juramentum exigitur & præstatur.

RENUNCIATIO.

Quod igitur benignissimè secundet Deus in unitate Trinus, in Trinitate unus: *Ego M. Casparus Finckius, Logic. & Phys. in hac alma Academia Giessena Professor Ordinarius, vos 17. honestissimos & doctissimos adolescentes*, ob insignes in artibus humanioribus progressus, ex autoritate totius Collegii philosophici philosophiæ Baccalaureos creo, proclamo, declaro, renuncio, in nomine Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis, Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritus sancti. Amen.

HONORUM ET PRÆMIORUM distributio.

QUOD superest, adeste Baccalaurei Ornatissimi, & debita præmia è lauri baccis (quæ olim Apollini & illis, qui victoria obtenta & re benè feliciterq; gesta triumphabant, sacræ erant, & vos victores barbariei inscitiæq; esse ostendunt) à me accipite: & primò quidem accedat is qui summo loco collocatus est.

I. Joan-

I. JOANNES BRUDERUS URSELLANUS Königsteiniâs.

Quòd fictis Jhesu sociis, Brudere, *relictis,*
Nunc Cyrrhearum Musica castra colis:
Rem facis egregiam, & studiis, animæq; saluti
Consulis, & primum nactus es, Euge! locum.
Hunc meruit pietas, studiumq; utriusq; loquelæ,
Ingeniumq; vigens assiduusq; labor.
Ite procul fratres dicti à socio agmine Jhesu:
Frater *hic est Christi* frater, *amatq; Deum.*
Ite procul fratres *quos ignorantia turpat,*
Frater *hic ingenio judicioq; valet.*
Ut viret hæc laurus nullo violabilis æstu,
Sic Brudere *vire corpore, mente,* Vale.

II. CONRADUS VIETOR AQUISGRANENSIS, Belga.

Si Conrade tui *fatumq; vicesq; parentis*
Volvo animo repetens; exclamo: vah quibus ille
Jactatus satis; quia quartùm est redditus exul,
Dum Christi plantare fidem, sacrumq; laborat
Relligionis opus, Stygia frendente Megærâ.
O! sicut patris pietas & conscia virtus
Vicit iter durum, & tam multa pericula rerum;
Sic pietate animum, studiiq; vigore labores,
Dum vires anniq; sinunt, superare memento.
Hæc laurus tibi calcar erit majora subire,
Ut simul atq; semel lauriq; auriq; coronam
Indeptus, fias patriæ & patris incrementum:
Mi Vietor, *tribuat tibi Christus & illud & illud.*

III. JOHANNES GLADENUS Darmbſtatinus.

Phœbus amat laurum, Phœbi tu diligis artes,
Ergo hæc Phœbeæ germnia frondis habe.
Ah pereat quiſquis ſpernit Phœbeïa dona,
Illum nulla manet gloria, nullus honos.

IV. NICOLAUS CHUNO EISENCOBENSIS Naſſovius.

Quæ tibi *Nicoleos* nequiit dare laurea ſerta,
His te nunc *Thomas*, incredulus ille, coronat.
Quid Thomas? laurum tibi *parvus Jheſulus* offert;
Jheſulus ille cubans propter taurumq; bovemq;;
Jheſulus in cunisq; jacens, ulvaq; paluſtri.
Tu gaude; & magnas dic hoc pro munere grates
Bis genito Regi: Chriſto, inquam, hominiq; Deoq;.

V. JOHANNES GEORGIUS ENGELANDT Gemundanus.

De Cœlo venio, vobis annuncio magna
Gaudia, Cœlicolûm me comitante choro:
Gaudia quæ toti populo ſuper orbe futura;
Promiſſus vobis natus Jheſus adeſt.
Nempe hæc de cœlo paſtoribus angelus offert
Nuncia, quæ pretio non redimenda puto.
Quòd ſi parva licet rebus componere magnis,
Et tibi de cœlo gaudia magna fero.
Laurea ſerta fero, frontem quæ fronde coronent:
Scilicet ut pulſes ſolis utranq; domum.

Hac

Hac Engellandi *debes gaudere corolla,*
Si terræ Angelicæ consociandus eris.

VI. Theodoricus Pfaffius Billershusanus Hassus.

Copia cui linguæ est, cui pulchra est gratia fandi,
Quiq; est instructus dotibus ingenii;
Qui Musas pariter sacras, Pindiq; vireta,
Quiq; amat Aonii munera rara chori:
Hujus erit meritò lauri de fronde corona;
Cùm Pfaffi *hoc facias, ista corona tua est.*

VII. Christophorus Molitor Sveinsbergensis Hassus.

Quòd totum linguaq; geras & pectore Christum
Christophore, *à Christi nomine nomen habes.*
Fer Christum, *quoniam sic te feret ille vicissim,*
A Christo hæc etiam laurea serta feras.

VIII. Johannes Schlosserus Hainbacensis Hassus.

Quid tibi cum Musis, *Schlossere*, novemq; Camœnis,
Qui modò Fabrorum multa cum forcipe ferrum
Tractasti, an nescis quid trita paræmia mandet?
Quisq; suum tractet, tractent fabrilia fabri.
Non ita, non: meliorem animum tibi Delius ingens
Inspirat vates, & primo te signat honore.
Nam divinus amor, dulcesq; ante omnia Musæ
Impediunt, retrahitq; pedem Thymbræus Apollo.
Perge modò, & quò te ducit via dirige gressum

Aönas in montes: primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laurum, & majora ad præmia ducet,
Posteaquam firmata virum te fecerit ætas.

IX. MARTINUS SNABELIUS WESTERBURGENSIS Schadecus.

Snabeli fieri nequit profectò,
Quin donem tibi pauculos Phaleucos.
Nam qui mancipat artibus Minervæ
Noctes atq; dies (loquor quod est res)
Huic non hos ego dedicem Phaleucos?
Cüi mens animusq; erit, fuitq;
Novem Pierisin vacare; totos
Dies in studio disertiori
Laborare, queas ut eleganter
Loqui singula lege Tulliana,
Et simul Sophiæ profundiores
Arcanosq; animo reconditarum
Perscrutari aditus scientiarum,
Huic non hos ego dedicem Phaleucos?
Immò qui medio loco locatur,
Baccalaureus aureus vocatur,
Et indagine sobria laborat
Hanc ob laureolam perenni--salvam,
Huic non hos ego dedicem Phaleucos,
XX. Hendecasyllabos Phaleucos?

X. JOANNES PISTORIUS KYRTROFFENSIS Hassus.

Ex Oriente trias, stella ducente, Magorum,
Advenit, & Regi fert tria dona novo.

Aurum,

Aurum, thus, myrrham, regiq; hominiq; Deoq;
Adfert, & puerum supplice voce rogat.
Supplice voce roga Regem omnipatentis olympi,
Da tua dona Deo, thure litaq; pio.
Sic tibi continget felici hæc laurea fato.
Et te perpetua laude beabis: Abi.

XI. Jacobus Herdius Gros-Lindanus Hassus.

Dum quassat cani patris æger anhelitus artus,
Ejus & in lecto languida membra jacent:
Tu stas in cathedra magno exornatus honore,
Et laurum, studio digna brabeja, capis.
Disce hinc humanæ quæ sit mutatio sortis,
Quo minimè credis tempore, luctus adest.

XII. Joannes Daussenau Wirsdorffensis Nassovius

Deseruit Monachos, Monachorum perfida sacra
Deseruit pater ille tuus florente juventa.
O *Daussenavi*, quoniam te laurus honorat
Desere Lucifugam Satanam, Satanæq; ministras.
Barba resecta fuit poto, tibi barba vigescat,
Dum studiis inhias magno molimine, dumq;
Fruge Cleanthéa cupis exhilarare parentem.

XIII. Joannes Caltenbachius Lehemensis Rhenanus.

Pergite Pierides nostrumq; ornate Joannem,
Nunc Caltenbachio *præmia digna date.*
Frigidus in rivo est, sed non est frigidus arte,
Excolit ingenii vividioris opes.

Cecropii juvenem docuerunt culta lepores,
Norit ut in metricos cogere verba pedes.
Dum Caltenbachi *loquor hæc, tibi laurea cedit,*
Quam Charis à Pindi mittit amica jugo:
Nimirum longos dederit si Jupiter annos,
Ætatisq; feres tempora justa tuæ:
Major honos & major adorea sponte sequetur,
Magnus si Musas penè sequeris, eris.

XIV. CHRISTOPHORUS WICELIUS BUTZbacensis, Hassus.

Quis tu vis? laurum. *Sed non cur expetis aurum?*
Aurum tum repetam, quando Magister ero.
Rectè Wiceli *dicis: majora sequentur*
Præmia, si cœptam carpis ad alta viam.
Nostrarum, Eja, igitur rerum decora alta capesse,
Et merita Daphnes cingere fronde comas.
Sic de Libethri, sic ex Aganippidos undis,
Deq; Caballino fonte bibisse juvat!

XV. JODOCUS WOLFFIUS SCHOTTENSIS Avimontanus.

Sicut cognomen tellus dedit atra Philippo,
Et cicere à vili dictus erat Cicero.
Sic quamvis placido, Wolffi, *sis mitior agno,*
Fers tamen agnivori nomina dira Lupi.
Seu Lupus ergo dedit nomen tibi, sive Lycurgus,
Sive Lycaoniæ fabula nota dapis:
Lauriger *esto; novus mihi* Baccalaureus *audi,*
Cingat honoratas ista corona comas.
Quando ovis atq; lupus concordi pectore vivent,
Tunc etiam istius finis honoris erit.

XVI.

XVI. VALENTINUS HACUS RHEINHEIMENsis Rhenanus.

Inter Apollineos, celeberrima numina, cætus
Judicio non est ultimus ille meo:
Cui sedet in vultu violentia nulla protervo,
Cui micat in læta candida fronte fides.
Cujus Apollinea modò tempora fronde teguntur,
Judicio non est ultimus ille meo.
Denique cujus amor sunt tresque novemque sorores,
Judicio non est ultimus ille meo.
Macte Valentine, *& contentus sorte quiesce,*
Sisque Valentinus *corpore, mente, fide.*
Scilicet & tempus veniet volventibus astris,
Quo cum majori laude Magister eris.

XVII. JOANNES ARCULARIUS SCHOTTENSIS.

Per pisces & aves multi periêre scholares,
Vulgatus sermo est, quem probat ipsa fides.
Et pisces & aves mittis, reliquisque relinquis:
Invigilans studiis nocte dieque tuis.
Ne ludas chartis, noli certare fritillis,
Nec libros regum *perlege tutus eris.*
Heu mala quanta ferunt trochus, alea, charta, fritillus,
Tessera, Scachorum ludus, & Astragalus.
Istam discendo laurum *mutabis in* aurum,
Et solenni olim voce Magister eris
Si disces imus, *potes olim esse ordine* primus,
Ni lecti stramen *te retinebit*, Amen.

CONCLUSIO.

Dicite nunc Christo devoto pectore grates,
Christo qui nostras oculis res aspicit æquis,
Christo cujus amor nobis hac crescit in hora.

GRATIARUM ACTIO HABITA A JOHANNE BRUDERO Ursellano.

UT nullus veterum fruges gustare solebat
Ni libamentum sacras retulisset ad aras,
Ut nulli Veterum revocati è mille periclis
Sumebant faciles lætanti pectore vultus,
Promebantq; illis ex imo viscere grates
Queis freti incolumes per tot discrimina rerum
Transierant, salvi postliminioq; reversi:
Sic etiam mecum cunctorum pectora motu
Exultent dulci, dent signa faventia plausus.
Namq; hæc illa dies albis signanda lapillis:
In qua virtutum fas præmia digna referre.
Nec prece, nec pretio, sed Marte paratus & arte
Hic est non moriturus honos, hæc gloria famæ.
Plaudite Pierides, Heliconaq; pandite Musæ,
Dicite jo Pæan & jo bis dicite Pæan;
O Juvenes collata quibus sunt munera mecum
Jubila nunc omnes sustollite, dicite grates
Qui largè studiis tribuerunt præmia nostris.

DEO PRÆPOTENTI ET IMMORTALI.

SUMME pater qui scepta tenes altissima rerum,
Summe pater vindex scelerum, dans præmia rectis.

En

En tibi nunc grates ferimus, ſemperq; feremus,
Indignis nobis quod munera tanta dediſti.
Nos tua, magne Pater præconia magna canemus,
Dum nobis Zephyri ſpirans afflaverit aura
Concedis Muſis quòd φρονιτήρια noſtris,
In quibus ipſa poteſt pietatem haurire juventus,
In quibus & ſcelerum ſolet ire jubere ſaburram:
O Deus, ô vaſti regnator & arbiter orbis,
Quod quoq; Doctores, Præceptoresq; dediſti,
Qui magno ſtudii doceant ſudore juventam,
Qui ſolent dulcem ſtudiorum infundere amorem,
Grata tibi lætâ cantamus carmina linguâ.
Quod Mecænates Auguſtos, quodq; dediſti
Cuſtodes legum, ſervatoresq; Scholarum,
Grata tibi lætâ cantamus carmina linguâ.
Quod ſanctam pacem, quæ præſtantiſſima rerum eſt,
Quod placidas artes voluiſti his reddere tectis,
Clauſiſti portas ferratas robore ferri,
Grata tibi lætâ cantamus carmina linguâ.
Poſcimus alme Deus genibus tua numina flexis
Perge ſcholam noſtram, quæ nunc Academia claret,
Inclyta Doctorum & multâ dotata coronâ eſt:
Contra Acherontæas arteſq; doloſq; tueri:
Ne noſtram cymbam rapidus voret æquore vortex,
Ne ferat hoſtiles imbres, rimiſq; fathiſcat.
Fac maneant firmæ formæ, legeſq; gregeſq;,
Roſtraq; cum roſtris vigeant ſub Principe noſtro.
Sic poterit quisquis ſpartam cum laude tueri,
Sic tibi perpetuæ ſurgent de pectore grates,
Sic te magne Pater corde uno, uno ore canemus.

INVICTISSIMO ET POTENTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI RUDOLPHO II.

DUlcia cantabunt dulces tibi carmina Musæ
Mundi Rodolphe *Monarcha.*
Dignus es Ætherei cui decernantur honores,
Nobis quòd jura dedisti,
Giessenæq; Scholæ, Christo instillante, dedisti
Augusti sceptra Lycæi.
Quamvis dira cohors satanæ his obstare studeret,
Et quamvis fleverit orcus.
Omnia nil: largi concessit dextra Rodolphi
Virtutum præmia digna.
Induperatorem celebrate poëmate Divum
Indepti munera lauri,
Munera perpetuis quæ sunt mansura diebus
Ob lauro tempora vincta:
Tempus erit quando radiabit lumine vultus,
Ut per facunda virorum
Ora volaturum tollant ad sydera cuncti,
Atq; ipsi fausta precentur:
Aspiret fortuna pio divina Rodolpho,
Nec cernat tristia fata.

ILLUSTRISSIMIS ET CELSISSIMIS HASSIÆ PRINCIPIBUS.

SALVE justitiæ, pacis, pietatis, & almæ
Dictator Princeps, ô Illustrissime Princeps
Ludvice, ô patriæ pater inclyte & optime salve,
Inclyta quod nobis Academica sceptra dedisti,
Fundastiq; scholam tam magnis sumptibus istam,

Quæ

Quæ tibi, quæ meritas resonabit buccina grates?
Quæq; *Philippe* tuas cantabit buccina laudes?
Quæ *Friderice* tuas cantabit buccina laudes?
Non mihi si fuerint sexcentis vocibus ora
Vox infracta, gravi fabricatum pectus ab ære,
possem sufficere in tantarum munere laudum.
Omnipotens rerum sator & suprema potestas,
Cujus ab obtutu tellus commota tremiscit,
Principibus nostris clari det lumine solis
Posse frui, superasq; haurire diutius auras.

MAGNIFICO Dn. RECTORI, GOTHOFREDO ANTONII, JC. ET CANCELLARIO Academiæ Amplissimo.

Festinat ad te sermo meus virum,
Qui juris æqui consiliis potens,
Et qui tenes clavum Lycæi,
Qui regis calidam juventam
Te fama pennæ perpete Verbere
Mundum per omnem, per nitidum æthera
Canent & omnes, qui per artes
Ingenuas caput extulerunt.
Nunc Musa vili hoc carmine prædicat
Nobis benignè quod dedit omnibus
Vultum serenum ut & favoris
Aera nobilis amplitudo.

MAGNIFICO ET NOBILI VIRO, Dn. JOANNI STRUPPIO, CANCELLARIO IN Dicasterio Giesseno.

ET amplissime quid tibi rependam
Cancellarie, qui sat ampla dona

Feram? qui toties polis remotis
Isti, ad Cæsaris ora quò venires,
Et nobis Academiæ referres
Augustæ sacra sceptra; deinde alumni
Musarum afficerentur ut brabeiis.
Quas grates referam? capesse grates
Quas mens grata canit, sonatq; lingua
Hinc surgent segetes tuæ feraces
Laudis, qua poterunt frui nepotes.

REVERENDO ET CLARISSIMO Dn. SUPERINTENDENTI JEREMIÆ VIETORI, SS. Theol. D. &c.

SAlvifici Vietor, *qui spargis semina Verbi,*
Per quæ mortales vivida turba sumus;
Quas tibi persolvam grates? qui digna rependam
Munera? quæ Vietor *sunt referenda tibi?*
In tua perpetuas attollam nomina laudes,
Te, precor, ut Magni protegat ala Dei.

REVERENDO ET CLARISSIMO Dn. D. JOANNI WINCKELMANNO, &c.

WINCKELMANNE *tibi sacro*
Qui solvam meritas carmine gratias?
Relliĉtis gravioribus
Quod nostris avidè es testis honoribus?
Laudes perpetuò tuas
Cantabunt merito pondere posteri.
Nos si occasio deserat
Justis officiis evigilabimus

Si

Si res officium à pede
Nostrati repetant, evigilent pedes.
Si res officium à manu
Nostrati repetant, evigilent manus.
Si res officium à labro
Nostrati repetant, evigilent labra.
winckelmanne *tibi sacro*
Sic solvo meritas carmine gratias.

REVERENDO ET CLARISSIMO Dn. D. BALTHASARI MENTZERO, &c.

UT domus Atlas humeris supernas
Dicitur gestare suis Virilis,
Omnibus si grandisonis Poëtis
Credere fas est.
Haud secus, *Mentzere*, verende Doctor,
Et chori qui splendor honorq; sacri,
Sustines molem studiis avitæ
Relligionis.
Sedulus fundamina dum piorum
Ponis, & firmâ ratione solvis
Vincla, quæ norunt soluïsse pauci,
Gordia vincla.
Gratias Doctor capias Verende,
Quas potest mens concipere, atq; lingua
Quas queo fari: Eja age mente nostras
Suscipe grates.

AMPLISSIMIS ILLUSTRISsimi HASSIÆ PRINCIPIS Dn. LUDOVICI, &c. Consiliariis.

NUNC & vos pariter viri celebres
Quorum consiliis & institutis
Nostri Principis ampla celsitudo,
Prudenter satis & satis juvatur:
Quorum voce probis suum tributum est,
Quorum voce malis suum tributum est,
Vos, inquam, titulis quod hisce vestro
Consessu datis hoc, novum decorem
Id justâ recolendo mentione
Non unus patiemur interire,
Nunc vobis meritas habete grates.

CLARISSIMIS ET CONSULTISSIMIS Dnn. JOANNI KITZELIO, LL. L. ET Henrico Nebelcraë, J. U. D. & Profess.

Quote Kitzeli *qui consultissimus æquies*
Carmine quæso canam?
O quæ Nebelcraë *tibi munera digna referre*
Pro meritis potero?
Vobis Legiferi spaciosa volumina juris.
Qui teritis manibus,
Persolvo grates, Musarum solvere mystæ
Quas retulisse solent.

CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO Dn. D. JOSEPHO LAUTENBACHIO.

ALTER qui Podalyrius vocandus,
Et morbos medicâ manu repellis,

Qui

Qui cymbam in mediâ ſtygis palude
Siſtis, laude piâ venis canendus,
Te nunc noſtra ſonat, canitq; Muſa
Sex his exiguis meis Phaleucis.

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO Dn. M. CONRADO THEODORICO, ETHICES Profeſſ. & Pædagog. ac P. T. Decano ſpectabili.

Quid *Conrade* tibi ſpectabilis arte *Decane*,
Qui imbuis urbanis vernantis corda juventæ,
Moribus exponens virtutum lemmata caſta,
Perſolvam? oſtendant omnes tibi pectora grata,
Sic te ſemper honos nitidis comitabitur alis,
Florebitq; tuæ necis expers gloria famæ.

Dn. PROMOTORI M. CASPARO FINCKIO, LOGIC. ET PHYSICES PROFESS.

Quæ tibi Fincki
Clare Brabeuta,
Philoſophiæ
Inclyte Præſes,
Munera ſolvam,
Qui tribuiſti
Munera tanta?
Noſtra virente
Tempora lauru
Condecoraſti.
Te celebrabit
Tempore quovis
Alter & alter:
Munera grata
En tibi ſolvent!
Quos redimivit
Delphica Laurus:
Dum vaga cœlo
Luna micabit
Muſa Latina
Carmina donec
Dicere quibit
Teq; tuamq;
Laudem & honorem
Sponte ſonabo
Promptus amabo
Optime Fincki.

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO Dn. M. CHRISTOPHORO HELVICO HEBRÆÆ & Græcæ lingg. Professori.

Γράμματα ὀτραλέως ἑλληνικὰ γνοὺς πολυΐδρι
Ὦ ἄνερ, οἰκεῖος σοφίης, πῶς νῦν ἀποδώσω
Σοι μεγάλην χάριν, ἤνιδε νῦν εὔνους λαβὲ ταύτην,
Εὔφρονι ἢν θυμῷ σύμπαντες σοι γεδιδοῦμεν.
Τιμήσουσιν ἀεὶ κύδει σε καὶ ἄνῳ ἀληθεῖ
Πάντες, θήσουσιν δὲ καὶ ἄφθιτον οὔνομα σεῖο.

CLARISSIMO Dn. M. CUNRADO BACHMANNO, HISTOR. ET Poës. Profess.

CArmina qui condit divino percitus astro,
Hunc mea Bachmannum rustica Musa canet.
Pro re pauca loquar; pro vino vena stet: auri
Pro numis numeri: res tua, spesq́; sient.
Det Pater omnipotens terræq́; marisq́; Monarcha,
Perpetuùm cymbæ vela secunda tuæ.

PRUDENTISSIMIS REIPUBL. GIESSENÆ SENATORIBUS.

Nunc etiam grates pando tibi sancte senatus,
Custodem legis quem Deus esse jubet.
Te Deus incolumem servet per Nestoris annos,
Civibus ut patriis commoda multa feras.

NOBILISSIMIS ET HUMANISSIMIS Dnn. STUDIOSIS.

ET tibi Thespiadum docta ac *studiosa corona,*
Musas, & doctas quicunq́; addiscitis artes,

De

De memori grates depromo pectore, cuncti
Suscipiant grates nostra de mente profectas.

HOSPITIBUS ET PEREGRINIS.

SI forte præterivit
Mea Musa, queis salutem
Non est precata, non hi
Succenseant Poetæ,
Sed & faveant Poëtæ
Sed & faveant honori
Sed & faveant decori.
Nobisq; gratulentur
Et fausta comprecentur.
At interim relictos
Saluto nunc amanter
Et gratias repono
De corde & ore toto,
Queis & dicamus omnes
Quos nunc vident honores,
Queis & dicamus omnes
Pro viribus labores
His pauculis tenellis
Anacreonticellis.

* * *

AD CHORUM MUSICUM.

QUod superest omnes manibus nunc plaudite mecum,
Lætitiæ date signa novæ, date signa triumphi,
Ite procul veteres curæ, procul ite molestæ
Ærumnæ, frontis rugosæ nubila cedant:
Plaudite nunc mecum, lætiq; applaudite. *Dixi.*

ETYMOLOGIÆ OMNES QVAS HABET IN historia Lombardica

JACOBUS DE VORAGINE, ANTEHAC COLLECTÆ PER CLARISSIMUM VIRUM, M. ERASMUM SCHMIDT, Græcæ linguæ in Academia Wittenbergensi Profess. publicum.

EPIPHANIA dicitur ab epi, quod est supra, & phanos, quod est apparitio, quod tunc desuper stella Magis apparuit. Vocatur & *Theophania*, à theos, quod est Deus, & phanos, quod est apparitio, quod tunc Deus Trinunus apparuit in Baptismo Christi: Et *Betphania*, à beth, quod est domus, quoniam Christus in miraculo Conversionis aquæ in vinum facto, in domo verus Deus apparuit. Et *Phagiphania*, à phage, quod est bucca sive mãducare, quoniam quinq; millia hominum de quinq; panibus hoc die satiavit. Sed de hoc miraculo, utrum hac die contigerit, dubitatur, tùm quod in originali Bedæ non sic expressè legitur, tùm quod Joh. 6. legitur, ubi de hoc miraculo agitur, dicitur: Erat autem proximum pasca, &c.

Magi autem tres Hierosolymam venerunt: quorum nomina in Hebręo sunt, Appellius, Amerius, Damascus: Grękè, Galgalath, Magalath, Sarachin: Latinè, Caspar, Balthasar, Melchior.

Hilarius dictus est quasi hylaris, quoniam in servitute Dei valde hilaris fuit. Vel quasi *Alarius*, ab altus & ares, id est, virtus,

tus, quoniam fuit altus in scientia, & virtuosus in vita. Vel ab ile, quod est quasi primordialis materia, quæ obscura fuit, & ipse in dictis suis magnam habet obscuritatem & profunditatem.

Macarius, dicitur à Macha, quod est ingenium, & ares, virtus. Vel à m[illegible], quod est percussio, & rio, magister, vel *macharius*, id est, beatus.

Marcellus, dictus est, quasi arcens malum à se, vel, quasi maria percellens, id est, mundanas adversitates percutiens & conculcans.

Antonius, dicitur ab ana, quod est sursum, & tenens, quasi superna tenens, & mundana despiciens.

Fabianus, *Sebastianus*. Dicitur autem *Fabianus*, quasi Fabricanus, fabricans beatitudinem supernam.

Sebastianus, à sequens, & beatitudo, & astim quod est civitas, & ana, quod est sursum, quasi sequens beatitudinem civitatis supernæ. Vel à basto: Nam miles Christus, equus Ecclesia, bastum sive sella *Sebastitanus*, quo meditante Christus in Ecclesia militavit, & de multis martyribus victoriam obtinuit. Vel interpretatur Vallatus, quoniam sagittis tanquam ericius fuit circumdatus: vel circumiens, quoniam omnes martyres circuibat, & omnes confortabat.

Agnes dicta est ab agna, quoniam mitis & humilis tanquam agna fuit: vel à Græco quodam agnos, quod est pium: vel ab agnoscendo.

Vincentius, dicitur, quasi vitium incendens: vel vincens incendia: vel victoriam tenens.

Julianus, quasi jubilus, & ana, quod est sursum, inde *Julianus*, quasi *Jubilianus*, quia cum jubilo superna petiit. Vel à *Julius* quod est incipiens, & anus, id est, senex. Nam in Dei servitio fuit senex longanimitate, sed incipiens sui reputatione.

Ignatius, dicitur quasi ignem patius, id est, ignem patiens divini amoris.

Purificatio Mariæ. Hoc festum dicitur etiam *Ipapanti*, quod est idem quod præsentatio, ex eo quod Christus est in templo præsentatus. Vel idem quod obviatio, quod Symeon & Anna obviaverunt Domino, cùm offerretur in templo: ab ipa, quod est ire, & anti, quod est contra. Dicitur ergo ipapanti, quoad collationem gloriæ, per hoc quod dicitur à Symeone: Lumen ad revelationem gẽtium. Dicitur & *Candelaria*, quoad illuminationẽ gratiæ, per hoc quod dicitur, Gloriam plebis Israel. Vel ex eo, quod candelæ accensæ in manibus portantur. Nam mulieres Romanorum, ut ait Innocentius Papa, his diebus festum luminarium exercebãt, quod à quibusdam fabulis Poëtarum originẽ traxit. Ajunt enim, quod Proserpina adeò fuit speciosa, quod Pluto Deus infernalis eam concupiscens ipsam rapuit, & Deam eam fecit. Parentes autem sui per silvas & nemora cum facibus & luminaribus eam multoperè quæsierunt. Et istud mulieres Romanorum repræsentantes cum facibus & luminaribus circuibant. Et quoniam difficile est consueta relinquere, Christiani de gentibus ad fidem conversi difficile poterant relinquere hujusmodi consuetudines paganorum: ideoq; Sergius Papa hanc consuetudinem in melius commutavit, ut scilicet Christiani ad honorem sanctæ matris Domini, omni anno in hac die totum mundum cum accensis candelis & benedictis cereis illustrarent, ut solennitas quidem staret, sed alia intentione fieret.

Blasius, quasi blandus, vel quasi belasius, à bela quod est habitus, & syor, parvulus. Fuit enim blandus per dulcedinem sermonum: habitus per habitus virtutum: parvulus per humilitatem morum.

Agatha, dicitur ab agyos, quod est sanctus, & theos, Deus, quasi

quasi Sancta Dei. Vel ab a, quod est sine, & geos, terra, & theos, Deus, quasi Dea sine terra, id est, sine amore terrenorum. Vel ab aga, quod est loquens, & thau, cōsummatio, quasi perfectè & consummate loquēs, quod patet in suis responsis. Vel ab agad, quod est servitus, & thaas superior. Vel ab aga quod est solennis, & thau, consummatio, quasi solenniter consummata, id est, sepulta, quod patet in angelis, qui eam sepelierunt.

Vedastus, quasi verè dans æstus, quoniam verè tibi dedit æstus afflictionis & pœnitentiæ. Vel quasi væ distās, quoniam æternum væ ab eo distat.

Valentinus dicitur, quasi valorem tenens, hoc est, in sanctitate perseverans. Vel quasi valens tyro, id est, miles Christi.

Cathedra Petri. Cathedra triplex esse dicitur, scilicet Regalis, 2. Reg. 23. David sedens in cathedra, &c. Sacerdotalis, 1. Reg. 1. Heli sacerdote sedente super sellam, &c. Et Magistralis, Matth. 23. Super cathedram Moysi, &c. Beatus ergo Petrus sedit in cathedrali Regali, quoniam fuit Princeps omnium Regum: Sacerdotali, quoniam fuit pastor omnium Clericorum: Magistrali, quoniam fuit Doctor omnium Christianorum.

Matthias Hebraicè, Latine dicitur donatus Domino, vel donatio Domini, vel humilis sive parvus: Vel à manu, quod est bonum, & thesis, positio: Inde Matthias bonum positum pro malo: scilicet *Juda*.

Gregorius dicitur à Grex, & gore, quod est prædicare, sive dicere, quasi gregis prædicator. Vel quasi Egregorius, ab egregius, & gore, quasi egregius prædicator & doctor. Vel Gregorius in lingua nostra vigilans sonat.

Pilatus (cujus circa hæc tempora in historia passionis mentio fit) dicitur à pyla matre, & Atus, qui fuit avus molendinarius.

Secundus, dicitur quasi se condens, id est, se honestate morum componens. Vel quasi secundans, id est, obsecundans, vel quasi secum dux.

Ambrosius, dicitur de ambra, quod est species valde redolens & pretiosa. Vel ab ambra, & syos, quod est Deus, quasi ambra Dei. Vel ab ambor, quod est pater luminis, & syor, quod est parvulus. Vel sicut dicitur in Glorioso, Ambrosius, odor vel sapor Christi cœlestis: Ambrosia, esca Angelorum: Ambrosium cœleste mellis favum.

Georgius dicitur à Geos, quod est terra, & orge, quod est colere, quasi colens terram, id est, carnem suam. Vel à Gerar, quod est sacrum, & gion, quod est arena, quasi sacra arena. Fuit enim arena; quoniam ponderosus morum gravitate, minutus humilitate, & siccus à carnali voluptate. Vel à Gerar, quod est sacrum, & gion, quod est luctatio, quasi sacer luctator, quia luctatus est cum Dracone & carnifice. Vel à gero, quod est peregrinus, & gir, preciosus, & us, consiliator. Ipse enim fuit peregrinus in contemptu mundi, preciosus in corona martyrii, & consiliator in prædicatione regni.

Marcus interpretatur sublimis mandato, ratione perfectionis in vita, quod non solùm servavit mandata communia sed etiam sublimia, sicut sunt consilia. Vel certus, ratione certitudinis in doctrina Evangelii sui, quam à Petro magistro suo didicit. Vel declinatus, ratione humilitatis profundæ. Nam propter nimiam humilitatem pollicem sibi amputasse dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur. Vel amarus ratione acerbitatis pœnæ. Vel dicitur à marto, quod est malleus major, qui quidem eodem ictu ferrum domat, melodiam gignit, incudē firmat: sic Marcus unica doctrina sui Evangelii domat hæreticorum perfidiam, dilatat laudem divinam, & confirmat Ecclesiam.

Vitalis,

Vitalis, quasi vivens talis, quoniam qualis vivebat exteriùs in opere, talis erat intus in corde. Vel à vita. Vel quasi vivẽs alis, id est, tuens se alis virtutum. Ipse enim fuit tanquam unum de animalibus Dei, quæ vidit Ezechiel, habens in se quatuor alas, scilicet alam spei, qua volabat in cœlum: alam amoris, qua volabat in Deum: alam timoris qua volabat in infernum: alam cognitionis qua volabat in seipsum.

Philippus & *Jacobus*. Dicitur *Philippus*, os lampadis, vel os manuum. Vel à philos, quod est amor, & yper, quod est super, quasi amator supernorum.

Jacobus verò dicitur quasi Jacopus, à jaculo & cope, quod est cæsio, quasi cæsus jaculis per martyrium.

Inventio Crucis dicitur, quoniam tali die Crux inventa refertur. Nam & antea fuit inventa, à Seth, filio Adam in terrestri Paradiso: à Salomone in Libano: à Regina Saba in Salomonis templo: à Judæis, in aquæ piscina: hodie ab Helena in monte Calvariæ.

Epimachus & *Gordianus*. Dicitur *Epimachus*, ab epi, quod est supra, & machim quod est rex, quasi supernus Rex: Vel ab epi quod est supra, & machos, quod est pugna, quasi pro supernis pugnans.

Gordianus vero à geos, quod est dogma sive domus, & dyan, quod est clarum, quasi clara domus, in qua habitet Deus.

Nereus & *Achilleus*. Interpretatur autem *Nereus*, lucis consilium, vel à nereth, quod est lucerna, & us, festinans: Vel quasi ne reus, id est, nequaquam reus.

Achilleus verò ab achi, quod est frater meus, & lesa, quod est salus, quasi fratrum salus.

Pancratius, à pan, quod est totum, & gratus, & citius, quasi totus cito gratus. Vel sicut dicitur in glosario, pancras dicitur rapina: pancranarius, flagellis subjectus: pãcus lapis va-

riè coloratus. Ipſe enim rapuit prædam captivorum: fuit ſubjectus flagellis tormentorũ: coloratus varietate virtutũ.

Urbanus ab ur, quod eſt lumen vel ignis, & banal, reſponſio. Fuit enim lumen per converſationem honeſtam, ignis, per caritatem ſuccenſam: reſponſio per doctrinam.

Primus & *Felicianus*. Dicitur *Primus*, quaſi ſummus & magnus. *Felicianus*, quaſi felix anus, id eſt, felix ſenex.

Quiricus & *Julita*. Dicitur *Quiricus*, quaſi quærens arcum, vel à chiſil, quod eſt fortitudo, & cus, niger. Vel à quiris, quod eſt haſta. Vel à quiriles, quod dicitur ſedile. Ipſe enim fuit arcus, hoc eſt, curvus in ſui humiliatione; fortis in tormentorum paſſione; niger in ſui deſpectione; haſta in inimici deballatione; Dei ſedile, ex Dei habitatione.

Julia [Quiriei mater] quaſi juvans vita, quoniam vita ſpirituali vixit, & per hanc multis profuit.

Vitus & *Modeſtus*. Dicitur *Vitus*, quaſi virtus, id eſt, virtuoſus. *Modeſtus*, quaſi ſtans in medio, hoc eſt, in medio virtutis. Quamlibet enim virtutem tanquam medium circumſtant duo vitia tanquam extrema.

Protaſius & *Gervaſius*. Dicitur *Protaſius*, à prothos, quod eſt primùm, & ſyos, Deus ſive divinus. Vel à procul, & ſtaſis, quod eſt poſitio: quaſi primus per dignitatem: divinus per dilectionem: procul poſitus à mundi affectione. *Gervaſius* verò à gerar, quod eſt ſacrum, & vas. Vel à geva, quod eſt incolatus, & ſyor parvulus: quaſi ſacer per vitæ meritum: Vas per virtutum receptaculum: peregrinus per mundi contemptum: parvulus per ſui deſpectum.

Petrus & *Paulus*. Interpretatur *Petrus*, agnoſcens, quoniam perfectam Scripturarum notitiam habuit, & in prædicatione, quid cuiq; conveniret, agnovit, Vel diſcalcians, quia fuit virgo puriſſimus, quoniam [*d*] pedibus ſuarum affectionum omnem amorẽ mortuum diſcalciavit, & exuit, ut non

ſolùm

solùm corpore, sed etiam mente virgo esset: & vincula peccatorum à nobis dissolvit, & hoc per claves quas à Dn. accepit: vel à petros, quod est firmum: quoniam martirium pro defensione fidei constanter sustinuit. Petrus aũt trinomius extitit, videlicet Simon Bariona: Cephas: Petrus. Hic Petr' inter centos & super centos Apostolos majoris fervoris extitit. Nam scire Domini proditorẽ voluit, & si eum scivisset, dentibus discerpsisset. Et ob hoc Dominus proditorẽ suum nominare nolebat, quoniam si ipsum nominasset, Petrus continuò surrexisset, & ipsum protinus trucidasset.

Paulus verò interpretatur os tubæ, vel os eorum, seu electum mirabile, vel electionis miraculum: vel à pausa, quod est requies hebraicè, & modicus latinè. Rabanus vult, quod antea dictus est *Saulus*, à Saule Rege superbo: sed post conversionem, vocatus est *Paulus*, quasi parvulus, à modico & humili Spiritu. Unde & nomen suum interpretando dicebat: Ego sum minimus Apostolorum, &c.

Margarita, dicitur à quadam preciosa gemma, quæ est candida, parva & virtuosa. Sic beata Margaretha fuit candida per virginitatem: parva per humilitatem: virtuosa per miraculorum operationem.

Alexius dicitur ab a, quod est valdè, & lexis, quod est sermo. Inde Alexius, quasi valdè in verbo Dei robustus.

Praxedis dicta quasi viridis, à prasin, quod est viride. Inde praxedis, quasi prasin virens, quia vivit & floruit flore virginitatis.

Magdalena, dicitur quasi manens rea, scilicet ante conversionem, per obligationem ad pœnã æternam. Vel interpretatur munita, vel invicta, scilicet in cõversione, per pœnitentiæ armaturam. Optimè n. omnib. armis pœnitentiæ se munivit, quoniã quot in se habuit oblectamenta, tot de se reperit olocausta, vel magnifica, post conversionẽ, p gratiæ

ſuperabundantiam: quoniam ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.

Apollinaris, dicitur à pollens & ares, quod eſt virtus, quaſi pollens virtutibus. Vel ab Appollo, quod interpretatur mirabilis, & naris, per quam intelligitur diſcretio, quaſi mirabilis diſcretionis vir. Vel ab a, quod eſt ſine, & polluo, & ares, virtus, quaſi virtuoſus ſine pollutione vitiorum.

Chriſtina, quaſi criſmate uncta. Habuit enim balſamum boni odoris, in converſione: & oleum devotionis, in mente: & benedictionis in ore.

Germanus dicitur à germine, & ana, quod eſt ſurſum, quaſi ſupernum germen.

Dominicus dicitur, quaſi Domini cuſtos, vel à Domino cuſtoditus. Vel dicitur Dominicus, quantũ ad ethimologiam hujus nominis, quod eſt Dominus. Dominus autem dicitur quaſi donans minas, vel donans minus, vel donans munus. Sic beatus *Dominicus* donans, id eſt, condonans minas per injuriarum dimiſſionem: donans minus, per corporis macerationem, quoniam ſemper corpori ſuo minus dabat, quam appetebat: donans munus per libertatis largitionem, quoniam non ſolùm ſua pauperibus tribuit, ſed etiam ſeipſum pluries vendere voluit.

Sixtus dicitur à ſyos, quod eſt Deus, & ſtatus, quaſi divinus ſtatus. Vel à ſiſto, ſiſtis, quaſi firmus & fixus in fide, paſſione & bona operatione.

Donatus dicitur, quaſi à Deo natus, vel quaſi dono Dei datus.

Laurentius dicitur quaſi lauream tenens.

Hippolytus dicitur ab yper, quod eſt ſupra, & lytos, quod eſt lapis, quaſi ſupra lapidem, id eſt, Chriſtum fundatus. Vel ab in, & polis, quod eſt civitas, quia fuit in civitate ſuperna per deſiderium & aviditatem. Vel quaſi valdè politus, ſcilicet per tormentorum acerbitatem.

Eu-

Eusebius, dicitur ab eu, quod est bonum, & sebe, quod dicitur eloquentia vel statio. Vel quasi bonus cultus.

Bernhardus dicitur ab er, quod est puteus, vel fons, & nardus, quæ ut dicit glosa super cantica, herba est humilis, & calidæ naturæ, & odorifera. Fuit enim calidus in ferventi amore, humilis in conversione, fons in doctrinæ emanatione, puteus in scientiæ profunditate, & odoriferus in fame suavitate.

Timotheus, quasi timorem tenens. Vel à timore, & theos, quod est Deus, quasi timor Dei.

Bartholomæus interpretatur filius suspendentis me, vel filius suspendentis aquas. Dicitur enim à bar, quod est filius, & tholos, quod est summitas, & moys, quod est aqua. Et est nomen Sirum non Hebræum.

Symphorianus dicitur à simphonia. Fuit enim tanquam vas Musicum, emittens armoniam virtutum.

Augustinus, hoc nomen sortitus est, vel propter excellentiam dignitatis, quoniam sicut Imperator Augustus prę-cellebat omnes Reges: sic & iste excellit omnes Doctores. Vel propter fervorem dilectionis, quoniam sicut mensis Augustus valdè fervet æstu caloris, sic & ipse valdè incaluit igne divini amoris, vel propter ethimologiam nominis. Dicitur enim ab augeo, & astin, quod est civitas, & ana, quod est sursum. Inde Augustinus; quasi augens supernam civitatem. Unde de eo cantatur: Qui prævaluit amplificare civitatem Dei.

Ægidius dicitur ab e, quod est sine, & geos, quod est terra, & dyan, quod est clarum sive divinum.

Cornelius interpretatur intelligens circumcisionem. Vel dicitur à cornu, & leos, quod est populus, id est, fortitudo populi.

Euphemia, dicitur ab eu, quod est bonum, & femina, quasi

bona femina, id est, utilis honesta & delectabilis. Vel quasi eufonia, quod est suavis sonoritas.

Matthæus, dicitur à magnus, & theos, quod est Deus, quasi magnus Deo. Vel à manus & theos, quasi manus Dei.

Mauricius, à mari, & cis, quod dicitur vomens, vel durus, & us, quod interpretatur consiliator vel festinans, vel dicitur à mauros, q̃ secundum Isiodorum grecè dicitur nigrum.

Cyprianus dicitur à cipro, quod est mixtura, & ana, quod est sursum. Vel à cipro, quod est mesticia vel hæreditas.

Damianus & *Cosmas*. Dictus est Damianus à dama quadam bestia, quæ humilis est & mansueta. Vel à dogma, quod est doctrina, & ana, quod est sursum. Vel à damum, quod est sacrificium. Vel quasi Domini manus.

Cosmas verò dicitur à cosmos, quod est forma, vel ornatus. Vel secundũ Isid. cosmos grecè dicitur, mundus latinè.

Hieronymus, dicitur à gera, quod est sanctum, & nemus, quasi sanctum nemus: vel noma, quod est lex. Unde dicitur in legenda sua, quod Hieronymus interpretatur sacra lex. Fuit enim sanctus, hoc est, sanguine tinctus, per Dominicæ passionis meditationem. Interpretatur etiam Iheronimus, visio pulcritudinis, vel dijudicãs locutiones: & lex, propter regularem disciplinam, quam Monachos suos docuit.

Remigius dicitur à remi, quod est pascens, & geos, quod est terra, quasi pascẽs terrenos doctrina, vel à remi, quod est pastor, & gyon, q̃ est luctatio, quasi pastor & luctator. Vel à remige, qui est navis ductor vel rector. Vel à remis, qui sunt instrumenta, quibus navis ducitur, & gyon, quod est luctatio. Ipse n. Ecclesiã gubernavit à periculo naufragii eã duxit ad portum paradisi, pro ea luctatus est contra insidias diaboli.

Franciscus prius dictus est Johannes: sed postmodum mutato nomine Franciscus vocatus est. Cujus mutationis nominis multiplex causa fuisse videtur. I. ratione miraculi cognoscitur

gnominandi. Linguam enim Gallicā miraculosè à Deo recepisse cognoscitur. Unde dicitur in legenda sua, q̃ semper cum ardore Spiritus S. repleretur, ardentia foris verba eructans, Gallicè loquebatur. II. ratione officii divulgandi: unde dicitur in legenda, quod divina providentia sibi hoc vocabulum indidit, ut ex singulari & insueto nomine, opinio ministerii ejus toti citius innotesceret orbi. III. ratione effectus consequendi, ut scil. per hoc daretur intelligi, quod ipse per se & per filios suos, multos servos peccati & diaboli debeat francos & liberos facere. IV. ratione magnanimitatis in corde. Nam Frāci à ferocitate sunt dicti, quoniam eis inest naturalis feritas & magnanimitas animorum. V. ratione virtuositatis in sermone, quoniam ejus sermo instar securis vitia incidebat. VI. Ratione terroris in demonum fugatione, & honestatis in conservatione. Ajunt n. Franciscas dici signa quædam, instar securiū, quæ Romę ante consules ferebātur, quæ erant in terrorē, in securitatē & in honorem.

Sancta Meretrix Thaisis. Hæc post pœnitentiam è cellula parua, in quam inclusa fuerat à Pafuncio Abbate, ab eodem emissa est, his verbis: Non propter pœnitētiam tuam remisit tibi Deus peccata tua, sed quod timorem semper habuisti in animo. Et cum inde illam Pafuncius eduxisset, quindecim dies supervixit, & pausavit in pace.

Dionysius interpretatur vehementer fugiens, vel à dya, q̃ est duo, & nisus, quod est elevatio, quasi secundum duo elevatus, scil. secundū corpus & secundū animam. Vel à Diana q̃ est Venus. scil. Dea pulcritudinis, & syos, q̃ est Deus, quasi pulcer Deo. Vel ut quidam ajunt, dicitur à Dionysia, quæ ut dicit Isidorus, est quædam gemma nigra, valens contra ebrietatem. Ante conversionem multa prænomina habuit. Vocatus est enim Ariopagita à vico in quo habitabat. Item, Theosophus, id est, Deum sapiens. Item à Græco-

rum ſapientibus uſque hodie dicitur pererigion tuarami, quod latinè dicitur ala celi, quoniam in celum ala ſpiritualis intelligentiæ mirabiliter volavit. Item Macharius, id eſt, beatus. Item à patria Jonicus. Auguſtinus autem in lib. 8. de civitate Dei dicit, quod jonicum eſt genus Philoſophorum. Quia ergo Dionyſius ſummus erat Philoſophus, ideo Antonomaſicè dicebatur Jonicus.

Lucas interpretatur, ipſe conſurgens, ſcilicet ab amore mundi: Vel elevans, ſcilicet ſe in amorem Dei: Vel à luce, dicitur: Fuit enim lux mundi, Matth. 5. eo quod mundum illuminavit univerſum.

Simon & *Judas*. Interpretatur *Simon* obediens, vel ponens triſticiam. *Judas*, quaſi jubilum dans. Dictus etiam fuit Thaddæus, quaſi tam Deus, id eſt, magnus Deus, ſcilicet per adoptionem. Item Lebæus, quaſi lebes, per gratiarum plenitudinem, quoniam quaſi olla & vas virtutum & gratiæ eſſe promeruit.

Leonhardus, dicitur ab odor populi, à leos, quod eſt populus, & nardus, quod eſt herba redolens, quoniam odore bonæ famæ populum ad ſe trahebat. Vel quaſi legens ardua. Vel à Leone.

Martinus, quaſi Martem tenens, id eſt, bellum contra vicia & peccata. Vel quaſi martirum unus. Vel interpretatur quaſi irritans, vel provocans, vel dominans.

Cæcilia, quaſi celi lilia. Vel cecis via. Vel à celo & lya. Vel quaſi cecitate carens.

Clemens dicitur à cleos, quod eſt gloria, & mens, quaſi glorioſa mens.

Catharina dicitur à catha, quod eſt univerſum, & ruina, quaſi univerſalis ruina. Omne enim ædificium Diaboli in ea univerſaliter corruit. Vel quaſi cathenula. Ipſa enim ſibi per bona opera quandam cathenam fecit, per quam uſq; ad celum aſcendit.

An-